

libus elongatis, foliis angustioribus, summis lanceolatis longius petiolatis. Utraque occurrit foliis natantibus membranaceis & coriaceis.

Forsan, ut *P. natans* Auct., in plures species distinguendus! — *P. spathulatus* Mert. & Koch l. c. p. 140. Nolt. Nov. p. 17., *P. natanti* analogus, adest in amni ad *S. Rörum* Scaniae! Folia natantia ad *P. natantem* accedunt, verum prioris var. ex Cham. & Schlecht. l. c. — Hujus porro sectionis videtur *P. coloratus* Horn. Fl. Dan. t. 1449. *P. plantagineus* Decroz, pro *P. rufescentis* varietate habitus, verum a recentioribus uno ore distinguitur. Nondum legi; videtur *P. oblongi* analogia in hac sectione.

Trib. 2. *Potam. lucentis*. Caules ramosi! Folia submersa necessaria; non rufescentia.

*Descr.* Omnia ut supra in *Plantaginifoliorum* descriptione. Caules insuper ramis evolutis instructi sunt, eximie foliosi; steriles flexuosi. Folia submersa essentialia, persistentia, sessilia, subamplexicaulia, margine subtiliter serrulato aut undulato; natantia accessoria aut nulla, (si adsint subpetiolata, firmioris substantiae). Stipulae subsariosae. Pedunculi fructiferi recti. Flores virescunt, nec rufescit spica. Semina plus minus oblique ovata, molliora. Stylus sat distinctus. *Læte virens aut nitens herba, sicca colorem servans aut fusco-nigricans.*

*Obs.* Tribus priori satis contigua, tamen distinctio videtur essentialis; saltem in speciebus determinandis utilissima. Species centralis videtur *P. perfoliatus*, utpote a ceteris longissime distans; sed *P. lucentem* ut typum tribus propono, utpote quoad characteres inter omnes hujus species positum innumerisque suis formis iisdem accedens. Veteres jam, *Bauhini* &c., hujus species *Potamogeti* lucentes dixerunt eorumque ad nutum huc quoque referendus *P. densus*, nobis exoticus, foliis quidem oppositis ab omnibus recedens, sed ceterum habitus prorsus idem. In *P. crispo* folia subopposita, praeter floralia, jam vidi. Seminum fabrica a nostris indigenis quidem recedit; vix autem a *P. hybrido*, hujus sine dubio tribus cive.